



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Quadriga Erichtonii.) Hoc non lectum mihi; Vellem itaque, ut auctorem idoneum nominasset.

Sybelli.) Videtur Cypselum intelligere. Sed de curru ejus talis nil reperio apud alios.

Equis appositæ erant alæ.) Nec hoc lectum mihi. Et vide, quæ de curru Solis dixi libro primo. Pelopis equos facit alatos Pausanias in Eliacis I. verum ibi agit de statua eorum sic formata: Ἐκατέρω μὲν δὴ δύο ἀλῶν εἰσὶν ἵπποι, τοῖς δὲ τὸ Πέλοπος ἐστὶ περιφότα καὶ πτερὰ. Quæ sic vertit Interpres: *Bigis uterque invehitur, sed pinnati sunt Pelopis equi;* Cum debuisset: *Quisque equis utitur duobus;* Cum sit sermo de ἀμίπποις.

Quæ vocabula idem notant.) Falsum hoc, nec, ubi Græcum ἀμάξα, ibi statim de plastro cogitandum. Sæpe generalis vox est.

Pilenti, Carpentii.) Omnia hæc distincta sunt, quod ipse noster non dissimulare potest in sequentibus.

Carpentophorus.) Hunc ego nusquam reperio, & ex explicatione liquet, καρπόφορον in animo habuisse. Sed nec καρπόφορος, seu carpophorus, de vehiculo invenitur, & plane imperitia linguæ Græcæ obstitit Ligorio. Ad postremum decimæ, quas hic memorat, Romanis penitus fuerunt ignotæ.

Carpentum fastigiatum.) Quid est, *fastigiatum?* & quare *fastigiatum?* Sequitur apud Tacitum: *Suum quoque fastigium Agrippina altius extollere.* Hinc natum carpentum fastigiatum, quod est prorsus ineptum.

Cap. II.

Plane sicut carpentum.) Hoc verò falsum esse docent, quæ de vehiculo utroque differui.

Fuisse repertum in Hispania.) Dicam infra, cap. 23.

Sculptos in hunc modum.) Utinam nobis eos exhiberet quispiam delineatos diligenter, multum sine dubio juvarent institutum hoc. Nunc ignorare cogimur, nunquam, quod sciam, publicatos.

Cap. III.

Δύτροχον.) Hoc propriè non est cisium, sed vehiculum quodlibet,